

05

A

1763





Disputatio Physica
De
QUALITATIBUS
OCCULTIS,

Quam
DEO DUCE ET AUSPICE

Sub
PRÆSIDIO
VIRI

Excellentissimi & Praclarissimi

DN. M. JOHANNIS Sperlingeri

Physices Professoris Publici celeberrimi, Promotoris
& Præceptoris sui plurimum honorandi,

in alma Wittebergensium Academia

publicè defendere conabitur

JODOCUS VVILLICHIUS

Prettinensis Saxo.

Horis antemeridianis

In Auditorio Majori

ed d. 20. Martij.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO M DC. XXXIX.

QUALITATIBUS
OCCURRITIS
DEO INNOCENTIO



05 A 1763

JODOCUS VALLICHIUS
WITTEBERGE
The Johannaria Bucher, Acad. Typogr.
HANO W. C. XXXX.





Præloquium.

PHidiam pictorem & statuarium insignem, faciem suam Palladis simulacro tam exacte inclusisse memorant, ut universam quis citius labefactasset statuam, quam impressam illam eradicasset faciem. Melius veriusq; Deus gloriosus mirandam suam faciem non uni alterivè simulacro, sed omnibus ac singulis totius mundani theatri impressit particulis. Spectant hanc Physici toties, quoties altius immensas Nature pensitant vires. Nihil in cælo, terrâ, & undis est, sapientiam Creatoris pleno quod non proclamet gutture.

Omnia quotquot erunt, quot sunt presentia, quotq;
Orta fuere antehac, stirpes, hominesq;, feraq;
Inde etiam volucres, piscesq; humoris alumni,
Cuncta Deum referunt presentem in imagine parva.
Lubet ergò in gloriam Dei immorari paululum hiscè, & cum-
primis Qualitatum Occultarum mirari ac rimari naturas.
Nostris Deus annue ceptis!

Theses.

I. Ad manifestas omnia deducere qualitates, summa impudentia est, præclarè habet Scaliger. Præclarè. inquam. Eche- Exerc. 218
neis, pisciculus parvus, navim tenet, undis, ventis, velis, remisq; s. 8.
actam. Quid violentius mari, ait Plinius, ventisvè, & turbinibus,
& procellis? Quo majore hominum ingenio (natura) in ullâ sui parte Lib. 32.
adjuta est, quàm velis remisq;? addatur his & reciproci astus inenar- Cap. 1.
rabilis vis versumq; totum mare in flumen. Tamen omnia hæc pari-
ter eodem modo impellentia unus ac parvus admodum pisciculus, eche-

A 2

meis,

neis, in se tenet. Ruant venti licet, & superveniant procellæ, impetant furori viresq; tantas compefcit, & cogit stare navigia.

II. Torpedo, piscis naturâ piger, & tamen carnivorus est. Tar- ditarem hanc Natura, mater benigna, aliis compensavit dotibus. Pisces enim ob motum minus celerem assequi cum nequeat, in arenâ & limo se abdit. Adnatant protius hi, & gravi corripiuntur torpore. Cumque fugere nequeant, à torpedine capiuntur ac devorantur. Nec pisces saltem, sed piscatoris etiam manum, per virgas, hastas, ligna, aliaque corpora, corripit. Et ipsam etiam aquam inficit, adeò ut si istâ hominis manus aut pes tangatur & abluatur, mire ac miserè obtorpescat.

III. Et ne è quatuor mundi angulis conquirere videamur exempla, alia domi nata & cuiusvis obvia ponderanda sistimus. Cæcum multi cæcis averfantur disidiis, totoque animò ab ejus esu, imò & visu, abhorrent. Multi felis etiam cistæ inclusæ præsentiam vexantur adeò, ut in animi incidant deliquium. Ciconiæ devorant serpentes, gratoq; servitio nobis purgant regiones. Unde capitale in Theffaliâ, quæ multos habuit serpentes, fuit, lædere ciconiam. Fame citius perit vultur, quam attingat triticum; columba, quàm ex rapto quærat pabulum. Quis magnetis nescit actiones, quem non lapides, non virgulta, sed ferrum attrahere, spectamus omnes. Rhabarbari quantula portio copiosè expurgat bilem? Et venenorum naturas, quæ in quantitate minimâ maximas habent vires, quis satis indagare & explicare valuit unquam? Pestis tempore quàm multi, quàm subito, quàm miserè, necantur è genere hominum, salvis tutisque canibus, felibus, cæterisque brutorum generibus. Quæ naturæ effecta omnia, à quam manifestâ fluunt qualitate? Omninò res delabitur ad istas, quæ latent animos temperatos, illudunt curiosis.

IV. Quæsitum *An sit*, sequitur *Quid sit*. Est verò Occulta. *Comment. de Divin. p. m. 326.* Qualitas quæ sensum fugit, proprioq; nomine designari nequit. Colorem explorat visus, odorem olfactus, saporem gustus, sonum auditus, qualitates tactiles tactus. At silent hîc sensus, tacitiq; suspendunt judicium. Rectè Peucerus ait: *Nec sapore, nec odore, nec tactu, nec ullo deniq; sensu explorari & indicari propriè possunt, sed unâ observatione & experienciâ, prævio quidem sensu in notatione effectorum*

effectorum ratione verò duce ac magistrâ, tempore multo, ex perpetuâ effectorum congruentiâ deprehenduntur.

V Nominum prætereâ occurrit carentia. Nomina tu lapidis, qui quotidie tuis oculis obversatur, formam: & Phyllida solus habeto, ad Cardanum ait Scaliger. Idem hîc Naturæ ingeminat scrutator. Nomina tu veneni, quod jugulat validissimum quemq; qualitatem: & gloriam præ cunctis habeto. Occultam si vocas qualitatem, loqueris ut potes, sed non ut debebas. Proprium quærebatur nomen, non Commune. Speciale, non Generale. Pulcherrimo se invicem sequuntur ordine, res, conceptus, voces, literæ. Qualis res, talis rei conceptus, talis vox, tales literæ. Res distincta distincto gaudet conceptu, distinctâ voce, distinctis literis.

VI. Nunc Unde sint Qualitates hæ videndum. Hîc Physici certant, & adhuc sub iudice lis est. Ad variam Elementorum vulgò recurritur misturam. Quibus subtilis respondet Scaliger: Ignorabam equidem recessus & penetralia tantæ Philosophiæ. Ab unâ duntaxat Elementi formâ tot proficisci posse qualitates, quot videmus varias, ac diversas, atq; etiam contrarias in tot mistis gravioribus. Sunt enim quedam gelidissima, nonnulla ignea. Sanè mirum ab unius Elementi formâ promanare hæc; & in ipsoprimum elementi corpore nihil horum inveniri. Quis te malus genius Alexander adegit eò, ut miserè crederes solâ elementorum mixture fieri posse, ut ferrum trahatur à magnetè.

VII. Dicimus nos, qualitates omnes à formis esse, ab elementaribus elementares, ab aliis alias. Hinc ut maxima formarum diversitas, sic & summa qualitatum varietas est. Formas in Specificas, Subordinatas, Accidentarias, & Partiales dispecimus. Ab his qualitates occultæ suum trahunt ortum, Et cum ab exemplis naturæ petendæ sint rationes nostræ, non ab argumentis nostris subvertendæ naturæ rerum, per species ire obviam exempla applicare juvat.

VIII. Magnes ferrum trahit, non propter caliditatem, nec ob frigiditatem, humiditatem, siccitatem. Res enim aliæ qualitibus hiscè præditæ, id non præstant. Sola restat qualitas occulta, de quâ unde suam trahat originem, lis est. Speciem hanc

qualitas ea cum sequatur, à specificâ magnetis formâ dritur. Hac positâ, qualitas ista ponitur: sublatâ, tollitur. Et ut magneti movendi concessa potestas, sic aliis contraria. Echeneis motu privat navim, torpedo piscem & piscatoris manum. Hæc mira diraque qualitas unde? A Specificis piscium horum formis. Hinc vivis tantum tanta inest potestas, non mortuis.

IX. Pullus gallinaceus vix natus milvum è longinquo conspectum horret, omnemque in fugâ ad matrem spem ponit. Equum vero, bovem, porcum, & alia grandiora animalia nequicquam reformitat. Accipitrem fugit columba, lupum ovis, canem lepus. Ob formas scilicet Specificas, quæ non minus suas habent qualitates, quàm forma ignis aut forma aquæ.

X. Rhabarbarum purgat bilem, mechoacanna pituitam, sena melancholiam, gratiola humores aquosos. Non ob formas Specificas. Mortua enim corpora id agunt, non viva. Sed ob formas Subordinatas. Ab hiscè occultæ illæ pronatæ fuere vires. Nec cogitandum, manifestas hic sufficere qualitates. Non enim ope caloris, frigoris, humiditatis aut siccitatis ista eveniunt, cum alia multa qualitatibus istis prædita idem non agant. Neq; ad similitudinem quæ in solis manifestis consistat qualitatibus fugiendum. Verè ob similitudinem, non ob contrarietatem ista oriuntur effecta. *Pharmacum*, inquit Hippocrates, *cum corpus intraverit, primò id quod omnium maximè sibi secundum naturam cognatum atq; simile est in corpore trahit; deinde reliqua ducit & purgat.* Similitudo verò hæc in occultis quærenda qualitatibus. Dantur enim vicissim multa iisdem qualitatibus manifestis prædita, quibus idem non respondet effectus.

XI. Cum vinum quidam, alii calcem, alii carnes, cæcis averfantur dissidiis, ab Accidentariis id provenit formis. Sanè tanta vini præstantia, tanta utilitas est, ut fermè nobilius ac utilius nihil è divite suâ protulerit terra penu. Vinum lætificat cor hominis, fovet calidum innatum, viscera calefacit, coctionem juvat, obstructions tollit, urinam movet, somnum conciliat, flatus dissipat, crassos humores extenuat, spiritus resarcit, ipsumq; ingenium acuit. *Nihil est in vino*, non abs re Renodæus ait, *quod non sit eximium, odor, sapor, spiritus; ex quibus non solum homo recreatur, alitur, fovetur,*

*Lib. de
Nat. Hum.*

*Lib. 1. de
Mat. Med.
6. 2.*

fovetur, sed etiam ex illo mortuo & in acetum mutato, nec non ex illius fecibus, quas Chymiatri tartari nomine designant, & medicamenta & alia alimenta multa mutuatur. Et tamen in hominum reperias genere, quibus præstantissimum hoc naturæ munus ferme abstinere venenum. Causa rei non Specifica forma, nec Subordinata, sed Accidentaria est. Ea nempe, quæ cum vini naturâ occultum gerit dissidium, & per accidens ad tempus uni alterivè inest individuo. Non absimile quid de Clitorio amne canit.

Ovidius:

*Clitorio quicumq; sitim de fonte levarit,
Vina fugit, gaudetq; meris abstemius undis.*

Plinius etiam vinum tædio venire his, qui ex Clitorio lacu biberint, asserit.

XII. Caseum in deliciis maxima hominum pars habet. Convivium nullum tam splendidum est, quod non claudatur caseo. Epicurum in caseo summas quæsisse delicias ajunt. Combachius scribit: Epicurus, maximus, ut volunt, voluptatis assertor, quum esset summus Philosophus, naturæq; peritissimus, nullâ in re aliâ quàm in caseo delicias quæsit. Mitte inquit in Epistolâ quâdam ad amicum (ut testis est ejus rei Laërtius in vitâ Epicuri) casei Cytbridij paululum, ut cum epulari preciosius voluero, possim. Est tamen non nemo qui malè fert casei & odorem & adspectum.

XIII. Mirabile magis videtur, quod caro nonnullis pro veneno fuerit. Scaliger de fæminâ spectatæ formæ & virtutis habet, quod ante annum ætatis decimum quartum, nullius suavis flecti potuerit, ut vesceretur carnibus. Idem ait unum è liberis suis brassicam abominatum esse, & seipsum Cressonibus duntaxat visis horrore perfundi. In nobili matronâ observavit Renodæus, quod absque deliquio animi rosarum ferre nequiverit odorem. Malorum etiam aspectu odoreque quidam terrentur. Causæ tantarum rerum formæ Accidentariæ sunt. Illæ ad tempus in hærent, occultaque adversus res adversis præditas qualitatibus nobis instillant odia. Sublatis verò istis, cæca etiam illa tolluntur dissidia. Sæpè qui in ætate tenerâ aversati fuère vina, tandem venientibus annis ista depereunt.

XV. Metam.

Lib. 31. c. 2.

Diff. Phys. de Cas.

Ex. 153. f. 10.

Inst. Lib. 1. c. 8.

14. Cordi

XIV. Cordi amicum est aurum, ventriculo absinthium, hepatis cichorium, lienipetroselinum, renibus lactuca, oculis foeniculum. Non ob formam hominis Specificam, nec ob Subordinatas, nec Accidentarias, sed partiales. Inimica pariter sunt, cerebro cicuta, vesicæ cantharides, pulmonibus lepus marinus, oculis lentes &c. Ob partiales scilicet corporis humani formas.

XV. Coronidis loco memorare lubet casum rustici de medicamento sanguinem purgante. Fuit Rusticus Thracius Bithinensis, qui herbam invenit, quâ qui usi fuere primum sanguinem, tum vitam emisere. Mortuis hæmagogi hujus virtute non paucis, Magistratus rusticum comprehendit, & à quo tam deleterium edidisset venenum interrogavit. Respondit ille, à nullo se istam didicisse artem, sed in suburbano aliquando urgente ventre suillum jecur super herbâ quadam deposuisse Paulò post cum jecur sustulisset, ex universo universam saniem ad herbam confluxisse. Hinc conjecturâ sumptâ herbâ illâ sanguinem detrahi posse corpori, periculo facto verum id se invenisse, herbamque deinceps ad usus malos transtulisse. Nulli tamen herbam, quæ copiosa in regione illâ fuerit, se monstrasse. Quâ confessione datâ, Magistratus veneficum vinculis ad crucem duci curavit, ne inter eundem alicui monstraret herbam.

QUÆSTIONES.

I. Quid censendum de Unguento Hopliatrico?

Mag. Nat. R. Johannes Baptista Porta de Unguento illo sic habet: *Unguentum armarium olim à Paracelso Maximiliano Cæsari datum, & ab eodem expertum, maximè carum ab eo habitum quamdiu vixit, cujus aula nobilis mihi communicavit. Si adlatum fuerit ferrum, quod sauciavit, aut lignum ejusdem sanguine madefactum, sanabitur ager, etiamsi longè aberit. Cape usnea, sive musci contriti in calvaria aëri derelictâ uncias binas, adipis humani totidem, mulla,*

mitis, sanguinis humani semiunciam, olei lini, terebinthina, boli armeni unciam, omnia simul mortario terantur: in urna oblongâ & angustâ ferventur. Immerge ferrum in unguentum, & ita relinquitur: ager manè sui ipsius urina eluat vulnus, nulloq; addito deligetur & sine dolore aliquo sanabitur. Et sanè passim pii etiam ac honesti Chirurghi & Medici non absque successu isto utuntur unguento. Rudolphus Goelenius junior scribit, se nominare posse Imperatores, Reges, Principes, Comites, Nobiles, quorum autoritas atq; fides in dubium non sit vocanda, qui de efficaciâ hujus unguenti testimonia ferant. Et rationem facti in tribus putat sitam, in Sympathiâ Naturæ, influentiâ corporum cælestium, & balsamo cuilibet homini naturaliter indito. Nos non tam quid fiat quàm cur fiat, indagandum censemus. Imperatores, Reges, & alij Viri magni ac cordati, de facto testantur saltem, de causâ testari nequeunt. Non plus, inquit incomparabilis Sennertus, testari possunt, quàm hæc: *Quendam vulneratum fuisse; ipsi adhibitam, Lib 5. curam istam per unguentum armarium; eundem convalescere: an verò Pract. vi hujus medicamenti convalesceret, hoc testari non possunt. Multa Part. 4. enim sæpè cum effectu aliquo conjungi possunt, quæ ejus causa non sunt. Cap. 10. Itaq; ut non sequitur; Isto ambulante coruscavit: ergò ambulatio est p. 440. causa coruscationis: Ita non sequitur; hic vulneratus sanatus fuit, & adhibuit unguentum armarium; ergò unguentum armarium est causa sanationis; nisi monstretur ab isto unguento necessario hunc effectum secutum esse. Quâ de causâ verò fiat, an Naturæ, an Unguenti, an Diaboli operâ, soli naturæ norunt periti Unguento istum non edi effectum, negatio Contactus docet abundè. Læsum non tangit unguentum, sed gladium, cultrum, aut lignum. Qualis hæc applicatio? Qualis Contactus? Non Corporalis, ut spectant omnes. Non enim ipsi vulnere, sed armis telisque quibus vulnus inflictum est, vel ligno in vulnere cruento madefacto, applicatur: sicque vulnus coire, & vulneratus per aliquot etiam miliaria absens, ac res hujus inscius, curari putatur. Neque virtualis stat contactus, quia inepta sunt corpora in unguento contenta, ineptum medium, ineptus modus. Spiritum unâ cum sanguine egredi, telo aut cultro adhærescere, inde repelli, ad cor-*

B

pus

i. d.

pus suum redire, idque redintegrare, tot sunt petitiones principii quot verba. *Quis credat*, inquit Celeberrimus Sennertus, è *pau-xillo unguento & sanguinis tantillo, corpuscula tot, vel species per-cistam, inquam telum inunctum conclusum est, percurrere, per lon-gum intervallum etiam duodecim milliarium deferrì, montes & mu-ros penetrare, & ad cubiculo inclusum vulneratum rectè tendere, & multiplices quibus vulnus involutum est fascias pervadere, ac vulnere sese insinuare?* Cura si procedit, partim Naturæ, partim Satanæ res adscribenda. Naturæ, quia hac validâ, sat medicinæ est. Quot quæso sanantur vulnera, nullo adhibito medicamento? Sufficit. si æger urinâ eluat vulnus. In periculosis verò vulneribus, quælia membrorum principaliorum, arteriarum & nervo-rum, abstinendum ab unguento hoc monent ipsi. Satanæ res ad-judicanda, si quid naturæ superet vires. Hic corpus sanat, ut animam sauciet. Et ubi pactum non adest Explicitum, subest Implicitum. Inventor primus, siue fuerit Paracelsus, siue Italus Parmensis Anshelmus, à Magiæ Dæmoniacæ crimine absolvi nequivit.

II. An cadaver hominis occisi ad homicidæ præsentiam etiam post menses aliquot sanguinem stillat?

R. Affirmativa in multorum ore & corde est, quam & experi-mentis, & rationibus muniunt. Experimenta vel mille profe-runt, singulique singula renarrant. Rationem dant hanc. E san-guine occidendi spiritus vindictæ ergò in corpus occisoris trans-iliunt. Post cum homicida cadaver accedit, intuetur ac tangit, quicquid de spiritibus reliquum est, id omne cum vehiculo suo, sanguine scilicet, in occursum spiritui in corpore occisoris hæ-renti ob sympathiam se proripit. Verùm experientia fallax, & ratio nulla est. Nec enim semper cadaver ad præsentiam homi-cidæ sanguinem stillat, nec quoties eum stillat, toties homicida adstat. Longè alia fluxus illius sanguinei subest ratio. In venia nempè cadaveris aliquot dies & septimanas nonnunquam reser-vatur sanguis. Hic vel levi factâ commotione ad corporis ruit
habi-

habitum, ac per nares, aliasque vias patentis elabatur. Sive ad-
sit, sive absit homicida. De spiritu ob sympathiam prorumpente quod dicitur, per se ineptum est.

III. An obtutu lupi homines occultâ quâ- dam qualitate obmutescant?

R. Ad fabulam hanc redarguendam, nil nisi Scaligeri adfe-
ram verba. *Cur visis lupis, inquit, homines obmutescunt? Quia
in illius oculis vis. Quid si ejus oculos non vidi? Num ejus oculi
dorsum penetrant & occiput ad linguam? Utinam tot ferulis castiga-
rentur mendaciorum assertores isti: quot à lupis visis sumus nos, sine
jacturâ vocis. Nam ter in venationibus scio me à lupo conspectum:
semel ab uno inter virgulas latitante: iterum ex montis supercilio:
tertiò cum puellum rapuisset. Ex cannabinâ segete jam admodum
adultâ caput identidem promoverat ad speculam. Tum quidam ex-
equalibus puelli dixit: ò ingentem canem. Ego ab illo cum sociis visis
sumis, ille à nostrum nemine. Tantum abest, ut obmutuerimus, ut
magnis clamoribus primò perterritum compulerimus ad fu-
gam, mox insecuti pradam, licet sine vitâ,
abstulerimus.*

Ex. 344.

f. 1.

**Tantum, Gloria Tibi provide Mundi
Rector, Director.**

M. Martinus Heintze
Fac. Phil. ad.

ad

F I N I S

Ad
Doctissimum Dn. Re-
spondentem.

Difficilis labor hic! Occultas pandere vires
 Natura, res est ingenij egregij.
Nam si vix oculis aut nasibus obvia Docti
 Captant, qui sensus que fugiunt capiant?
Sed tentare licet. Tu contra audentior ito
 Willichi, & factis digna brabea feres.

M. Johan. Sperling/
P. P.

Convenit ingenij dotes vegetare, suisque
 Probare se Fautoribus,
Ut sciat & pater & quicumque favore paterno
 Nos diligit *cur simus hic.*
Indolis egregiæ juvenis Willichius istuc
 Accommodavit otium,
Discursu vegetat mentem, secus illa fatiscit:
 Proponit hic doctas theses,
Et quod mirandum monstrat Natura theatrum
 Sagaciter sane excutit.
Pergite jam pergunt reparare parant quoque Mitram:
 Cingendus est WILLICHIUS.

M. Martinus Heinsius
Fac. Phil. Adj.

F I N I S.

05 A 1763

ULB Halle
003 785 70X


3




WOMY

BU 1







Disputatio Physica
De
**QUALITATIBUS
OCCULTIS,**

Quam
DEO DUCE ET AUSPICE

Sub
PRÆSIDIO
VIRI

Excellentissimi & Praclarissimi

DN. M. JOHANNIS Sperlingen

Physices Professoris Publici celeberrimi, Promotoris
& Præceptoris sui plurimum honorandi,

in alma Wittebergensium Academia

publicè defendere conabitur

JODOCUS VVILLICHIUS

Prettinensis Saxo.

Horis antemeridianis

In Auditorio Majori

ed d. 20. Martij.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ANNO M DC. XXXIX.